



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

Nobilissimis, Amplissimisque Dominis, D. Amelio van Bouckhorst,
Wimmenui Domino: ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)



Nobilissimis, Amplissimisque

DOMINIS,

D. AMELIO van BOUCK-
HORST, Wimmenumi Domi-
no: Saltibus Hollandiæ West-friesiæ-
que, Rheno ejusque Aggeribus Præ-
fecto: Ordin. Equest. Adsess. ad Co-
mitat. Ordin. General. ante hac, nunc
ad Confess. Consiliorum, Holland.
Ordin. Delegato.

D. GERARDO SCHAEPE;
Equiti, Domino Cortehoeviæ, Flo-
rentiss. Reipubl. Amstelodam. sæ-
piùs jam Consuli, ad Sereniss. Daniæ
ac Sueciæ Reges Ex-Legato.

D. JOHAN. van THILT, J.C.
In Republ. Harlem. Viro Consu-
lari, supremi Senatus, Rheno ejus-
que Aggeribus Præfecto, Assessori.

A U T

U T E T

*Amplissimis Florentissima, Reipubl.
Lugd. Consulibus,*

D. CORNEL. ANTONIO
BUYTEVEST.

D. GUILIEL. PAETS, J. C.

D. ARNOL. WITTENS, J. C.

D. RIPPERTO van GROENEN
DYCK, J. C.

NEC NON

Amplissimo, Consultissimoque Viro,

D. JOACHIMO à WEVELICK
HOVEN, J. C. Reipubl. Lugd.
Syndico, Nobilissimis Amplissimis
que Curatoribus, à Secretis.

Nobilissimi, Amplissimi Viri,



Annus jam unus & al-
ter est, cum in Civi-
tate Literaria, cujus
Ædiles estis, aream
mihi delegi: in qua vestris au-
spiciis fundamenta jacerem,
con-

condendo uni alicui novo ve-
teris Sapientiæ domicilio. Eâ
re Libellos vobis in lucem edidi
Logicos duos : Quorum alter
palos & cæmenta, solidando pa-
viendoque fundo : alter intri-
tam & ferrumen conferret, qui-
bus hæc inter se durata vinci-
rentur & coalescerent. Hi, quod
à me jussi erant facere, studiosè
accuratèque fecerunt : fistucas
adhibuerunt, solum statumini-
bus inductis rudèraverunt, &
ipsa inter se statumina trabes-
que perpetuâ catenâ deliga-
runt : Jacta sunt Encyclopædiæ
fundamenta. Interea verò, dum
hæc fundamenta sibi esse sino,
ut, an dehiscant alicubi, vel de-
sciscant ; an autem persistent, &
ferendo sint, explorem (& cer-
tè, fatente invidiâ, nihildum
vitii fecerunt : spondent se,
A 2 quod

quod inædificabitur, utut ope-
rosum & augustum, æternum la-
tura) quædam, quæ inter ex-
truendum usui futura videban-
tur, parabam, aptabam, dola-
bam, columnas, tigna, tabulas.
Tandem assidua pertæsus, se-
ponere ea ac differre tantisper
constitui: Contuli me ad opus
amœnum magis: futuri ædificii
Coronidem fabricare ingressus
sum: Hanc adumbratam jam
ante mihi, & typo etiam man-
datam, aliquamdiu jam, dies to-
tos pingo, fingo, cœlo. Coronis
ea, de Virtute & primis ejus Pro-
prietatibus Commentatio est:
hæc in delubro Sapientiæ, fasti-
gium tenet. Camera enim in
hoc delubro est Ethica: Quid
Politica? Fornix aliquis in hac
camera. Errant toto cœlo, qui-
bus ex alio, quam Virtutis hoc
cœlo,

pe
la
ex
an
ola
las
fe
per
ous
icil
fus
am
an
to
nis
ro
t
sti
in
id
iac
ui
oc
lo,

coelo, templi, inquam, hujus lacunari, Reipublicæ felicitas pendet; Qui ex humano vaframento, suspensus est consiliorum lychnus, fulget subindè paulisper: admirantur illum pueri, assentantur parasiti; Sed mox in suspicientes prolapsus, cum eos unguine suo defoedaverit, pondere suo contuderit, inter fumum & nidorem frangitur & exstinguitur: Nimis dentatâ ferulâ docet id olim & hodiè magistra stultorum, Experientia. Igitur in Sapientiæ fano, laquearium & tectum est Ethica: Ut à Logica, fundamentum sit firmum & bene fistucatum: à Mathematica & Metaphysica, columnæ robustæ, parietes bene materiati: à Physica, pavimentum & opera intestina cuncta, concinnè eleganter-

A 3

ganterque elaborata; Tamen
sine Ethica nunquam factum
tectum est hoc templum: imo
sine Ethica non templum est,
sed impluvium: Non ad sacra,
non ad pollutum valet: In
breui, tectoriorum tabo ac mu-
core foedum, strigum & noctua-
rum nidis obscœnum, ferarum
cubilibus infestum, anguium
vermiumque colluvie squalli-
dum, dirum, execrabile: Im-
brium stillis paulatim exeditur,
viatoribus ruinam minatur, &
tandem procumbit: omnibus
inscitiae ac ignorantiae gurgu-
stis infelicius. Cum in Philoso-
phiae fano tectum sit Ethica:
Tractatus ille, qui Virtutem
ipsam proximè tractat, tecti
ipsius culmen & Coronis est.
Hanc Coronidem, jam inscri-
ptam vobis, jam insignibus ve-
stris

stris distinctam, jam ritè instru-
ctam & comparatam: hanc ego
vobis Coronidem, qua par est
reverentiâ, cominùs inspicien-
dam & examinandam offero,
submitto. Si quid in opere
(nam in materia nihil: fidem
meam interpono: tota solida
est & proba) mutandum duxe-
ritis, jubete pro jure vestro
(Ædiles mei estis) Meum
erit exequi quod jubebitis.
Sicubi verò cælaturæ nostræ
pampinos & corymbos inau-
randos esse constitueritis, ef-
ficiam profectò, ut in munifi-
centia vestra magis eluceat ars
mea, & in arte mea splen-
deat æternùm munificentia ve-
stra. Valete: Bonis & inge-
nuis hominibus favete: Ita
Deus faveat vobis, Reipubli-
cæ vestræ Literariæ, & Summæ

A 4 Rei.

Rei. Si faveritis, favebit ille.
Præsto

Dabam Lugd. Batav.

27. Julii 1665.

Nobiliss. & Ampliss.

D. D. V. V.

Observantissimus Cultor

A. GEULINCK.